

essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.

VI. Satisfactio Christi fuit ad alterum. Quia fuit ab ipsa Verbi divini personalitate, ut terminante naturam humanam; at personalitas Verbi prout terminat naturam humanaum distinguitur non tantum a personis Patris et Spiritus Sancti, sed etiam a seipsa prout in divina tantum natura subsistit; habet enim naturam distinctam dominium distinctum, personam saltem virtuiter distinctam, ergo, &c.

Objicies. Satisfactio, quae a Filio exhibetur Patri, non est proprie ad alterum, quia Pater et Filius unam tantum, saltem moraliter, personam constituant; ergo.

Resp. Nego maj. Ad prob. *dist.* si non habeant dominia diversa, *conc.* si habeant, *nego ant.* Porro Christus, prout est homo, dominium habet omnino distinctum a dominio Patris, ratione cuius personam virtuiter a Patre distinctam habet.

CAPUT V.

De variis Christi titulis et officiis.

Quaeres 1. *Quibus titulis insignitur Christus, ut homo?*

Resp. In scripturis hi piaecipue numerantur.

I. Est vere et dicitur praedestinatus, 1. Ad filiationem divinam, quia decretum fuit ab aeterno, ut Christus quatenus homo, esset in tempore Filius Dei, Rom.

1. Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute. 2. Praedestinatus est ad visionem beatificam, quia praedestinatus est ad divinam filiationem, cui visio beatifica debetur, et ex qua sequitur.

Objicies. Praedestinatio refertur ad personam; atqui persona Christi non potest dici praedestinata ad divinam filiationem; ergo.

Resp. Dist. min. Persona Christi, prout in seipsa sub-

sistens, *conc.* prout subsistens in natura humana, *nego.* Licet ergo persona Verbi semper fuerit Filius Dei simpliciter, non tamen fuit semper Filius Dei, quatenus subsistens in humanitate assumpta, sed hoc acquisivit in tempore ex mera Dei liberalitate.

II. Est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis, ut definivit Adrianus Papa et Concil. Francofordiense, contra Felicem et Elipandum. Nam 1. Scriptura Christum etiam, *prout est homo*, vocat Dei Filium, Rom. 8. **Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.** Atqui *non est traditus secundum divitatem, sed secundum id, quod erat homo*, ait Adrianus Papa; ergo. 2. In Concil. Francof. approbatus est Liber, qui inscribitur, *Sacrosyllabus*, in quo dicitur: **Proprius Filius factus est ex muliere, non adoptivus.** 3. Filius adoptivus est *persona extranea quae per gratiam ad haereditatem assumitur.* Atqui Christus, *ut homo*, non est persona extranea respectu Dei, cum sit ipsamet persona Verbi, quae est vere et proprie Filius Dei; ergo, &c.

Hinc Christus, *etiam ut homo*, nec est, nec dici potest *servus proprie*: nam servus proprie est is, qui non est sui juris, sed domini, ad cuius haereditatem et bona nullum habet jus; atqui Filius naturalis est sui juris, ac vi suae originis habet jus ad bona et haereditatem Patris; ergo.

Objicies. 1. D. Hilarius, *lib. 2. de Trinit.* ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur;* ergo.

Resp. In textu Hilarii mendum irrepsisse in aliis exemplaribus, positumque, *adoptatur, pro, adoratur.*

Objicies 2. Christus habet formam adoptionis, nempe gratiam sanctificantem; ergo est Filius adoptivus: forma enim necessario producit suum effectum.

Resp. Nego conseq. Ad prob. *dist.* in subjecto capa-

vi, conc. in subjecto incapaci, nego. Porro Christus cum sit Filius naturalis, incapax est adoptionis.

Objicies. 3. Filius naturalis est productus in similitudinem naturae; atqui Christus, ut homo, non est productus a Deo in similitudinem naturae; ergo.

Resp. Dist. maj. Filius naturalis, qui producitur per viam generationis, *conc.* per viam unionis substantialis cum Verbo, *nego maj.* Itaque Christus, *ut homo*, in primo suae conceptionis instanti fuit hypostaticē unitus cum Verbo, cuius unionis virtute fit, ut una sit cum Deo persona, et consequenter Filius Dei naturalis.

Objicies. 4. Christus, Philipp. 2 *formam servi accepit;* ergo.

Resp. Dist. ant. Accepit formam servi improprie, et quoad officia tantum, *conc.* quoad conditionem servilem, *nego. ant.* Evidem ad officia servi sese dimisit Christus, sed servi conditionem nunquam suscepit, imo nec suscipere potuit utpote Filius Dei naturalis.

III. Est caput Ecclesiae, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Ratio est, quia in omnia Ecclesiae membra gratiam et dona spiritualia influit; nam, Joan. 1. de plenitudine ejus omnes acceptimus.

Hinc est caput morale 1. *Angelorum*, in quos influit per varias illuminationes, variaque dona gloriae et gaudiorum accidentalium. 2. *Beatorum*, quibus communicat gloriam. 3. *Justorum*, quibus communicat gratiam et charitatem. 4. *Fidelium peccatorum*, qui illi uniuersit per fidem, quae, licet sit mortua, est tamen gratia per Christum. 5. Est etiam caput *infidelium*, non quidem *actu*, cum nullam vitam ipsis communicet, neque perfectam per charitatem, neque imperfectam per fidem; sed *potentia*, quatenus ipsis communicat gratias actuales, quibus si cooperarentur, ulterioribus auxiliis instruerentur, quibus possent ad fidem pervenire, ba-

ptizari et salvati. 6. Nullo modo est caput *damnatorum*, quia nullum a Christo recipiunt influxum, a quo in aeternum sunt separati.

IV. Est Rex, non solum ut Deus, sed etiam ut homo; nam, Ps. 2. de seipso dicit: *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus:* atqui non est constitutus Rex ut Deus, cum titulum illum necessario ex natura divina habeat: ergo. Porro regnum Christi fuit spirituale, non temporale, ut ipsemet declarat, Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

V. Est Iudex vivorum et mortuorum, etiam ut homo; nam, Act. 10. *Ipse est constitutus a Deo Iudex vivorum et mortuorum;* atqui non est constitutus Iudex ut Deus; ergo.

VI. Est vere ac proprie Sacerdos, prout homo hypostaticē unitus Deo; Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.*

Dicitur 1. *Prout homo hypostaticē unitus Deo;* quia Sacerdos debet esse medius inter Deum et homines, debetque habere Superiorem cui sacrificet; atqui Christus, non ut Deus, sed ut homo, est medius inter Deum et homines, estque Deo inferior; ergo. Hinc Apostolus, Hebr. 5. dicit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, &c.*

Dicitur 2. *Secundum ordinem Melchisedech;* quia Melchisedech, offerendo panem et vinum, praefiguravit sacerdotium a Christo instituendum.

Dicitur 3. *in aeternum:* 1. Quia Christus non habet successores, sed vicarios, nam Hebr. 7. *Eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* 2. Quia effectus sacrificii Christi, qui est consummatio sanctorum in gloria, in aeternum duraturus est; et sic causa dicitur aeterna ab aeternitate effectus.

VII. Christus ut homo, est Patronus noster: quia 1. in hac vita vere ac proprie oravit pro nobis, Lucae 6. *Exit in montem orare, et erat per noctans in oratione.*

Dei. 2. Etiam nunc in coelis orat pro nobis, Rom. 3. Christus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ad quae verba D. August. Epist. 59. ait: Quia postulat, pro eo positum est, interpellat.

Objicies. Christus nunc non meretur; ergo nec orat.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod status viae requiratur ad merendum, non autem ad orandum.

Inst. Qui orat, impetrat; sed qui impetrat, meretur, ergo, &c.

Resp. Dist. min. Qui impetrat propter dignitatem aetualis sue orationis, meretur, conc. propter merita praeterita, nego min. Sic autem Christus impetrat.

VIII. Est mediator Dei et hominum, 1. ad Tim. 2. Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus; ergo est mediator, non secundum dignitatem, ut vult Calvinus, sic enim est Deus; ergo non medius inter Deum et homines, sed secundum humilitatem Verbo divino hypostaticae unitam, sic enim dicta a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate infinita gratiae unionis: Christus ergo est mediator, ut homo Deus, seu ut homo subsistens persona divina, ita ut persona divina fuerit principium quod mediationis Christi, et natura humana principium quo.

Quaeres 1. Utrum Christi mediatio excludat mediationem Sanctorum, una cum ipso in coelis regnantium?

Resp. Non excludit; quia licet Christus sit solus mediator simpliciter, quatenus reconciliat partes dissidentes, non solum orando, sed etiam solvendo et satisfaciendo uni parti pro altera; Sancti tamen sunt mediaatores secundum quid et mediate, quia interpellant Deum pro hominibus, sed mediate tantum, nempe per Christum qui nos redemit.

Quaeres 2. Quid fides doceat de Sanctorum erga nos officiis?

Resp. Docet 1. Sanctos suas orationes pro nobis of-

ferre. 2. Bonum ac utile esse eos invocare. *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, &c.* ut juxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum a primaeviis christianae religionis temporibus receptum.... fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, &c.

Hoc dogma jam definitum fuerat in VI. Synodo, cap.

7. Solo Deo adorato, invocet Christianus Sanctos Christians, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur.

Ratio est, quia pium et utile est invocare Sanctos viventes. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos,* inquit filii Israel ad Samuelem, lib. 1. Reg. cap. 7. et Apostolus Rom. 5. ait: *Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Ergo similiter pium ac utile est invocare homines Sanctos, qui cum Christo regnant in coelis.

Prob. conseq. Quia si non sit pium ac utile Sanctos invocare; hoc est vel quia nolunt nobis succurrere; vel quia non possunt; vel quia quod oramus ignorant; vel quia ipsos invocando fit injuria Deo et Christo; atqui neutrum horum dici potest.

Non primum, cum nunc majori charitate sint prædicti, quam cum in terris degerent.

Non secundum, quia si poterant nobis succurrere, cum hic erant peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria?

Non tertium, quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in coelis? Lutae 15. Iude sciunt Sancti nostras preces, nimirum per revelationem divinam.

Non quartum, quia similiter fieret injuria Christo, viveentes Sanctos invocando. Hoc argumentum Calvinstae nunquam solvere potuerunt.

Objicies 1. Injuriosum est Christo mediatorem apud *

Deum adjungere; atqui praxis invocandi Sanctos, Christo mediatorem adjungit; ergo.

Resp. Dist. maj. Injuriosum est adjungere Christo mediatorem, primarium et simpliciter, *conc.* secundarium et secundum quid, *nego*. Nam mediator secundarius non est ille qui pro nobis solvit ac satisfacit; sed est ille tantum qui pro nobis orat per merita primarii mediatoris, quod tantum abest ut sit Christo injuriosum, quin potius ejus merita maxime commendet.

Objicies 2. Oratio, quae ad Sanctos mortuos dirigitur, ab illis ignoratur, nam, Eccli 19. Mortui nihil moverunt amplius. Ergo est prorsus inutilis.

Resp. Nego ant. Nam Lucae 15. beati gaudent de poenitentia peccatoris; ergo cognoscunt actus liberos hominum viventium, non quidem *naturaliter* et virtute propria, quo sensu *textus* allatus debet intelligi, sed *supernaturaliter*, per revelationem: omnia enim quae ad ipsos pertinent, vident in Deo.

CAPUT VI.

De adoratione, seu cultu Christi, ejus matris, Sanctorum, imaginum, ac reliquiarum.

Quaeres 1. Quid sit adoratio?

Resp. Est, *testificatio excellentiae alterius, et propter illam nostrae erga eum submissionis*. Si excellentia sit civilis, cultus est mere civilis; si sit sacra et supernaturalis, cultus est sacer. Si cultus exhibeat alicui rei propter excellentiam propriam, dicitur *absolutus*; si propter excellentiam alterius quem repreäsentat, vel ad quem relationem habet, dicitur *respectivus*.

Quaeres 2. Quotuplex est adoratio sacra?

Resp. Triplex est, propter excellentiae diversitatem: nimurum *latria*, *hyperdulia* et *dulia*....*latria*, soli Deo exhibetur propter infinitam ejus excellentiam; hic cul-

tus latriæ, secundum communem usum, per nomen, *adoratio*, exprimitur....*hyperdulia*, soli B. M. V. exhibetur propter eximiam ejus super omnes alias creaturas praeeminentiam....*dulia*, Sanctis exhibetur propter eorum gratiae et gloriae supernaturalem excellentiam.

Quaeres 3. Utrum Christus, quatenus est hic homo, sit colendus cultu latriæ absoluto?

Resp. affirm. Quia sic sumptus, est verus Deus.

Quaeres 4. Utrum Christus, ut homo, sive humanitas Christi, prout conjuncta Verbo divino, adorari debeat cultu latriæ absoluto?

Resp. affirm. Nam 1. Apostolus, *Philipp.* 2. dicit: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem*....*prop'er quod et exaltavit illum, et donavit ill'i nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur*; ergo is est cultu latriæ adorandus quem Deus exaltavit in meritorum mercedem; atqui Christus, non ut Deus, sed ut homo fuit exaltatus in meritorum mercedem; ergo....2. D. Damasc. *lib. 3. De fide*, ait: *Unus igitur Christus, Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne: neque tamen, hoc agentes, creature servimus; non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam*....3. Concilium generale V. *Si quis, inquit, duas adorationes introduci et non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ejus carne adorat, anathema sit*....4. Tota Christi persona latriæ cultu adoratur; atqui tota Christi persona, non est solum personalitas Verbi, sed etiam omnis naturae quae in illa subsistit; ergo.

Objicies. Humanitas Christi non est Deus; ergo.

Resp. Dist. ant. Humanitas a Verbo separata, *conc.* cum Verbo hypostaticè unita, *nego*. Quia sic speciata, est natura Verbi, cui conjuncta est in unitate personae.

Quaeres 5. *Utrum B. Virgo, caeterique Sancti, colendi sint aliquo cultu religioso absoluто?*

Resp. affirm. Prout definit Conc. Trid. sess. 25. contra Lutheranos et Calvinistas. Nam tam licet Santos cultu religioso colere ob eorum supernaturales doctes, quam licet cultu civili et politico honorare Principes; atque &c. Ergo *Honorare decet Santos, ut amicos Dei, ut filios et haeredes Dei*, ait Div. Damasc. lib. 4. *De fide, cap. 16.*

Objicies, Apoc. 19. Angelus Joanni, volenti ipsum adorare, dixit: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum . . . Deum adora.* Ergo.

Resp. Nego conseq. Non enim Angelus hunc cultum recusavit, quod sit illicitus, sed quia, ut docet D. August. sic apparuit, ut potuerit existimari Christus, quare monendus fuit D. Joannes, ne cultum latiae exhiberet.

Inst. Apostolus, Coloss. 2. ait: *Nemo vos seducat in humilitate et religione Angelorum.* Ubi reprehendit quosdam, qui Angelis cultum exhibebant; ergo.

Resp. Reprehendit quosdam qui Angelis exhibebant cultum latiae, dicentes per eos mundum fuisse conditum, nosque Deo reconciliatos, non autem per Christum, quem Angelis inferiorem esse contendebant.

Quaeres 6. *Utrum quis cultus religiosus debeatur sacris Imaginibus?*

Resp. affir. Nam 1. post Nicaenam II. Synodum, in qua damnati sunt Iconoclastae, Concilium Trid. sess. 25. damnans Lutheranos et Calvinistas, definiit, imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in Templis praesertim habendas et retinendas; eisque debitum honorem et venerationem impertiendam. 2. Regis imagini, quod Regem representet, cultus civilis exhibetur; ergo religiosus exhiberi debet Imaginibus quae rem sacram repreäsentant. 3. Traditione constanti certum est Imagines sanctas in Templis

fuisse honorifice collocatas, atque fidelium veneracioni expositas.

Quaeres 7. *Quinam cultus debeatur sacris Imaginibus? An absolutus, an relativus?*

Resp. Debetur relativus, quia honorantur per ordinem ad prototypa: *Imaginis enim honos ad primitivum transit*, ait Conc. Nicaenum II. et qui adorat *Imaginem*, adorat in ea depicti subsistentiam. Et Conc. Trid. *Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repreäsentant.*

Objicies. Conc. Francofordiense, Parisiense, et Libri Carolini Synodum II. Nicaenam damnarunt ob probatum in illa Synodo cultum Imaginum; ergo &c.

Resp. Nego ant. Neque enim Concilia Francofordiense, et Parisiense, neque Libri Carolini damnarunt Concilium Nicaenum II. quia probavit cultum legitimum sacrarum Imaginum; sed quia, errore facti, crediderunt hoc concilium definiisse *Imagines Sanctorum cultu latiae absoluto adorandas esse*, itemque tale decretum a Graecis sine consensu S. Pontificis latum fuisse. Huic errori occasionem dedit confessio fidei Constantini Constantiae Cypri Episcopi, a Conc. Nicaeno approbata ac recepta, sed e Graeco in Latinum male redita, his verbis: *Suscipio et amplector sanctas et venerabiles Imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* Cum sic in Graeco habeatur: *His consentio et censors sum, suscipiens et cum honore amplectens sanctas et venerandas Imagines: ac latiae adorationem soli supersubstantiali ac vivificae Trinitati defero.*

Quaeres. 8. *Utrum vera Crux debeat adorari?*

Resp. Debet adorari cultu latiae relativi, ut probatum definitio tridentina, sess. 25. tum auctoritas Ecclesiae, quae verae Crucis inventionem, et ejusdem exaltationem, festo solemnii honorari voluit; in quibus solemnitatibus canit; *O Crux, ave, spes unica: et, Tuam*

crucem adoramus, &c. Ratio est, quia vera Crux est primum victoriae Christi et nostra salutis instrumentum.

Objicies. Vera Crux Christo ignominiam attulit; ergo.

Resp. Dist. ant. Christo ignominiam attulit, et simul est signum victoriae Christi et nostra salutis, *conc.* et tale signum non est, *nego*. Itaque adoramus Crucem, non quatenus ignominiam Christo attulit, sed quatenus est signum victoriae Christi et nostra salutis.

Quaeres 9. Utrum Reliquiae Sanctorum pie ac religiose colantur?

Resp. affirm. Ut probat D. Hieron. *Epist. ad Riperium*, confutans Vigilantium; et definit Conc. Trid. Sess. 25. *Affirmantes*, inquit, *Sanctorum Reliquias reparationem atque honorem non deberi.* *omnino damnatos, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam redundant in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosae exuviae.*

CAPUT VII.

De B. V. Maria, Matre Christi.

Quaeres 1. An Maria Mater Christi semper fuerit Virgo?

Resp. Fuit Virgo ante partum, in partu, et post partum; ut fides docet contra Cerinthum, Ebionem, Jovianum, et Helvidium. Ita definitum est in Conciliis Constantinop. V. et Lateranensi sub Martino V. *Vide te miraculum Matris Dominicae*, inquit D. Aug. Serm. 23. *Virgo concepit, Virgo parturiit, Virgo post partum permanxit.*

Objicies 1. Matth. 1. dicitur: *Antequam convenienterent Maria et Joseph, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*; ergo postea convenierunt.

Resp. Nego conseq. Nam, ut notat Div. Hieron. contra Helvidum, per particulam, *antequam Scriptura quid factum non sit, ostendit*: non vero ostendit quid postea

factum sit. Unde addit D. Hier. *Quod dicitur, ante, quam convenienterent, non sequitur ut postea convenerint.*

Inst. Ibidem, de Joseph dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*; atqui particula, *donec*, significat terminum continentiae Josephi; ergo.

Resp. Nego min. Nam particula, *donec*, non ita tempus praecedens connotat, ut futurum etiam non respiciat, v. g. *Psal. 109.* Deus dicit Filio: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* quis inde inferat Christum non amplius futurum a dextra Dei, postquam inimicos ejus posuerit scabellum pedum illius? Ergo particula, *donec*, duntaxat ostendit quid ante factum non sit.

Objicies 2. Christus habuit fratres, Matth. 12. *Ecce mater tua, et fratres tui.* Ergo.

Resp. Nego conseq. Nam Scriptura appellat fratres non solum eos, qui ex iisdem patre et matre nati sunt, sed etiam eos qui consanguinei sunt; sic Abraham, Genes. 13. dicebat Loth nepoti suo, *nos fratres sumus.*

Quaeres 2. Utrum B. Virgo immunis fuerit ab omni peccato actuali, sive mortali, sive veniali?

Resp. affirm. Nam 1. Conc. Trident. Sess. 6. can. 23. definit, *Hominem semel justificatum non posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia.* 2. D. Aug. lib. de nat. et grat. c. 36. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem.* 3. D. Thom. opusc. 60. art. 30. dicit: *Maria non fuisset idonea Mater Christi, si aliquando peccasset:* et post multas illius veritatis redditas rationes in Scriptura fundatas, sic concludit: *Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic impleatur quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es, amica mea.*

Objicies cum Lathero: Maria admisit peccatum infidelitatis, quando dixit Angelo: *Quomodo fiet istud;* et peccatum impatientiae, quando dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic?*

Ad 1. Respondet D. Bernardus, *hom.* 4. Super missus est: *Non dubitavit de factor; sed modum requirit et ordinem;* neque enim queritur, an fiet istud, sed quomodo.

Ad. 2. Nego ant. Praefata enim B. Mariae verba non sunt impatientiae et reprehensionis indicia, sed doloris de absentia amantissimi Filii sui.

Quaeres 3. Unde habuit impeccabilitatem B. Virgo Maria?

Resp. Habuit per confirmationem in gratia; unde ejus impeccabilitas fuit moralis, non physica, quae solidi comprehensori competit, cum oriatur ex amore Dei necessario, et ejusdem visione intuitiva.

TRACTATUS VI.

De Gratia Christi.

Quaeres 1.  *Uid sit gratia Christi?*

Resp. Est donum supernaturale, gratis a Deo per merita Christi collatum, quod de se tendit ad actum et finem supernaturalem.

Dicitur 1. *Donum supernaturale;* ut distinguatur a donis naturalibus, ut sunt creatio, conservatio, &c. quae sunt beneficia gratuita, sed naturalia.

Dicitur 2. *Gratis a Deo collatum;* ut ostendatur gratiam non rependi praecedentibus meritis, *alioquin gratia jam non est gratia,* ait Apost. Rom. 11.

Dicitur 3. *Per merita Christi;* ut distinguatur a gratia status innocentiae, quae independenter a meritis Christi fuit concessa.

Dicitur 4. *Quod ex se tendit ad actum et finem super-*

naturalem; quia per gratiam creature rationalis adiuvatur ad operationes, quae naturales illius vires superant, quaeque ad aeternam illius salutem ordinantur.

Quaeres 2. Quomodo dividitur gratia Christi?

Resp. Dividitur in *externam*, quae hominem exterius tantum afficit; ut sunt praedicatio Evangelii, lex, miracula, &c. et *internam*, quae hominem interius afficit, sive ipsi insit per modum habitus, sive per modum actus transeuntis.

Gratia interna, alia est *gratis data*, quae primario et per se conceditur alicui propter aliorum salutem, ut sunt dona prophetiae, miraculorum, linguarum, &c. Alia *gratum faciens*, quae ad propriam salutem illius, cui confertur, primario et per se ordinatur.

Gratia gratum faciens, alia est *actualis*, quae est auxilium quoddam internum, intellectui aut voluntati a Deo transeunter impressum, quo potentiae illae, de se insufficientes, adjuvantur ad eliciendos actus supernaturales, quibus justitia, vel justitiae incrementum obtinetur. Hinc hominem gratum Deo reddit efficienter. Alia est *habitualis*, estque qualitas homini permanenter inhaerens, quae ipsum formaliter reddit Deo gratum et sanctum.

De utraque illa gratia, actuali et habituali, hic agemus duplice Dissertatione.

DISSERTATIO I.

De gratia actuali.

Gratiae interioris actualis 1. necessitatem; 2. naturam et divisionem; 3. distributionem inquiremus, triplici capite.